



EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA  
*Episcopus tit. Ombitanus, vic. ap. Cracoviensis*

*Animadversiones ad cap. V. 1. Cap. V schematis de Oecumenismo*, cui titulus: « De libertate religiosa », sub duplici aspectu, scil. ethico et iuridico, hanc quaestionem tractare videtur. Isti duo aspectus intime connectuntur. Libertas enim in sensu iuridico eandem in sensu ethico supponit. Pro nostro schemate maioris momenti sensus ethicus habetur. Agitur enim de fratribus separatis, qui veritatem christianam aliter concipiunt et aliter vivunt ac nos catholici. Non raro tamen in hoc cap. V sensus ethicus libertatis religiosae cum sensu iuridico, in Codicibus nonnullarum nationum accepto, confunditur, ut patet ex ipsa definitione libertatis ab auctoribus schematis propositae. Affirmant enim (pag. 4 in medio) libertatem religiosam esse immunitatem ab externa coactione. In pag. vero 5 definitur « libertas religiosa seu ius personae ne ab aliis impediatur quominus observet et proclamet officia sua publica et privata erga Deum et erga homines, singulariter vel collective sumptos, prout conscientia manifestantur ». Utraque definitio videtur partialis et negativa, respicit enim potius tolerantiam religiosam quam libertatem. Utique, unicuique licet sequi conscientiam certam, etsi sit invincibiliter erronea, sed huic principio anteponatur aliud, quod sonat: debemus sequi conscientiam certam et veram.

Unde *propono*, ut haec definitio et conceptus libertatis in nostro schemate saltem suppleatur per talem definitionem et conceptionem libertatis, in qua magis appareat momentum ipsius veritatis obiectivae — non solum subiectivae — pro libertate. Retinendo ergo principium de conscientia invincibiliter erronea, quod tamquam principium tolerantiae religiosae considerari potest, valorem ipsius veritatis obiectivae vindicare oportet, praesertim in re tanti momenti ut est oecumenismus et libertas religiosa. Nonne dictum est a Domino: « Veritas liberabit vos! ».

Ipsium momentum libertatis est in electione, non autem in electione boni cuiuslibet, sed veri boni. Oportet ergo, ut in capite « de libertate religiosa » praesertim sub aspectu oecumenico iura personae iuribus ipsius veritatis melius componantur. Persona humana perfectionem sibi propriam obtinet in veritate, quae naturae eius rationali correspondet et etiam verae libertatis certissimum fundamentum constituit. In quaestione oecumenica oritur inde principium sincerissimae investigationis ipsius veritatis christianae.

Si autem agitur de libertate religiosa in sensu civico, *tunc proponere audeo*, ut quaestio haec in schemate *de Oecumenismo* cap. V tractetur magis distincte, in speciali paragrapho — postea autem, ut ponatur in schemate *de praesentia Ecclesiae in mundo hodierno* tamquam problema fundamentale. Pro exsistentia enim et labore Ecclesiae in mundo hodierno maximi est momenti, ut ius civicum cuiuslibet personae ad religionem colendam strenue observetur, et ut parentes catholici vi eiusdem iuris liberos suos in veritate christiana educare possint. Istud autem civicum ius fundatur non solum in principio tolerantiae, sed etiam in naturali iure cuiuslibet personae ad veritatem cognoscendam, cui ius Ecclesiae ad veritatem tradendam componatur oportet.

2. In n. 6 legimus: « Ut omnes homines bonae voluntatis, sive credentes, sive nullam religionem profitentes, simul operam dent ad ordinandam societatem

secundum normas morales ex ipsa dignitate personae humanae profluentes ». Postea n. 7 additur: « Quae normae quamvis fundamentum commune ad instaurandum ordinem vere humanum praebeant, a christifidelibus tamen non ut unica et suprema norma considerandae sunt. Fide constat hominem... regi posse ac debere praecepto caritatis... ». Videtur in tali textu ordo moralis christianus in caritate supernaturali consistens ordini pure naturali ex ipsa dignitate personae humanae in ordine naturae profluenti supraedificari. Oportet igitur exprimere potius, quod ordo moralis christianus ordinem moralem naturae et omnia iura personae humanae in se continet et tamen elevat, vivificat et sanctificat, ut patet ex Encyclica *Pacem in terris* Papae Ioannis XXIII. Libertas enim non in hoc habetur, « ut simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris » ut dicit S. Paulus, sed in hoc, quod « veritatem facientes in caritate, crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus » (*Eph.* 4, 14-15). Ipse vero Christus dixit: « Si vos manseritis in sermone meo, ... cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos. Omnis qui facit peccatum, servus peccati est. Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi estis ». In his verbis optima notio libertatis religiosae continetur.

3. Redactio cap. V nostri schematis claritate et praecisione caret et non raro confusionem parit. Proponendae videntur emendationes sequentes:

a) Pag. 4, n. 2, lin. 15 verba: « assensus non detur nisi cum plena libertate » substituatur per expressionem: « assensus detur cum plena pro posse libertate », hoc enim melius correspondet conditioni diversorum hominum et in diversis circumstantiis.

b) In nn. 3 et 4 affirmatur voluntatem Dei a persona humana tantummodo adimpleri posse, « prout lex divina mediante dictamine conscientiae percipitur ». Sed dictamen conscientiae non est id, mediante quo lex divina cognoscitur, ut schema affirmat, sed non nisi id, quo lex haec ad actum applicatur. Lex moralis enim cognoscitur synderesi et scientia, non vero conscientia, quae non nisi applicat principia synderesis et conclusiones scientiae moralis ad concretum actum.

c) In propositione prima pag. 5 auctores schematis affirmant: « In unoquoque actu morali ponendo homo observare debet duas sequentes exigentias: 1. Unica datur veritas quae est ipse Deus. Iura Dei sunt absoluta et unusquisque homo semper et ubique sese submittere debet sacrae voluntati Dei. 2. Deus... petit submissionem liberam, i. e. ex perspecta voluntate divini (forsan: divina?) imperatam obedientiam ». Praetermisso enim facto valde confusae redactionis harum potius quattuor quam duarum « exigentiarum », notare oportet, quod verbum « observare » sensu proprio significat aut implere praecepta, aut actualiter et exacte inspicere aliquam rem. Si sumatur in primo sensu, scil. pro impletionem praecepti, tunc non est ad rem, si agitur de prima, secunda et quarta propositione, quia haec sunt speculativa et ideo ab homine impleri nequeunt. Impleri enim non possunt nisi exigentiae et praecepta, non vero talis propositio theoretica, quod « unica datur Veritas quae est ipse Deus », quod « iura Dei sunt absoluta », quod « Deus qui hominem ad imaginem suam liberum creavit, ab ipso petit submissionem liberam ». Si vero verbum « observare » sumitur in sensu proprio pro actuali et exacta inspectione alicuius rei seu veritatis, tunc a fortiori est impossibile, ut « *in unoquoque actu* morali ponendo homo observare », seu actualiter et exacte inspicere teneatur, sed sufficit saltem virtualiter illas admittere vel non negare.

Unde *propono*, ut loco verborum: « In unoquoque actu morali ponendo homo



observare debet duas exigentias », ponatur: « Fides docet nos: 1. Unica datur veritas », etc.

d) Verba quae sequuntur, quod scil., « si... persona humana erroneam solutionem admittit, nec ullus homo, nec ulla humana potestas ius habet sese huic *consentientiae* (forsan: conscientiae?) erranti substituendi a. v. in ipsam coercionem exercendi » distinctione indigent: nullus homo, nec ulla potestas humana ius habet coercionem exercendi in personam humanam erroneam solutionem admittentem, si haec erronea solutio neque bono communi, neque bono alieno, neque bono ipsius errantis opponitur. Si vero opponitur, tunc certum est, quod legitimi superiores, ut parentes et vigiles boni communis, quandam coercionem in errantem exercere possunt, ne iste errorem suum sequendo sive aliis, sive sibimetipsi proportionate grave malum non causet.

e) Inexacta et confusa esset propositio schematis (pag. 6 in medio): « Sacra Synodus solemniter affirmat ius ad libertatem conscientiae in re religiosa externe exercendam, *salvo bono communi*, semper et ubique valere et ab omnibus agnoscendum esse », nisi excludatur falsa notio boni communis. Saepe saepius enim in societate et vita sociali, ubi magis vel minus aperte utilitarismus viget, pro bono communi substituitur id quod sub aliquo aspectu vel pro aliqua fractione utile tantum est.

## 52

EXC.MI EPISCOPI PROVINCiarUM AQUENSIS ET AVENIONENSIS  
ET DIOECESIIUM MASSILIENSIS ET MONOECENSIS*Cap. IV.*

I. Necessè omnino ut, in textu a Concilio prolato, quae in capitulo de catholicorum habitudine ad Iudaeos dicta, serventur.

1. *Ex argumenti opportunitate.* Cum de capite illo nuntii pervulgarentur, magna in orbe terrarum commotio, et in Iudaeorum praesertim societatibus, est concitata. Quo ideo suppresso, vel illius discussione procrastinata, deciperentur immo et scandalizarentur multi.

2. *Ex ipsamet rerum natura.* His quae caritate, iustitia atque veritate exiguntur capitulum illud respondet et nefas nos, ut filios lucis decet, non ambulare (cf. *Eph.* 5, 9).

a) *Quae caritate expostulantur:* Argumentum illud in relatione ab em.mo S.R.E. card. Bea proponitur: « Scopus... huius brevissimi decreti ille est, ut hae veritates de Iudaeis... in deposito fidei contentae tam clare in memoriam christifidelium revocentur, ut ipsi cum filiis illius populi agentes non aliter agant ac egerunt ipse Christus Dominus eiusque apostoli ». Constat enim multos inter christianos caritate erga Iudaeos deficere; oportet ergo ab ipsis episcopis et Concilio ita eos moneri ut sensus emendentur. In mundo tot et tantis discepto odiis, Ecclesia debet testimonium caritatis proferre universalis.

b) *Quae iustitia exiguntur.* Cf. quae in relatione ab em.mo card. Bea. Constat insuper a christianis Iudaeos saepe contemptos, iniuste tractatos, persecutionibusque vexatos; quibusdam in temporibus, ecclesiasticae etiam potestates toleraverunt imo et approbaverunt execrabiles in illos usus; qua re, Concilii est iniustitias istas condemnare, et ne redeant, agere.